





ΓΑΜΗΛΙΑ
Festivitati Nuptiarum
Reverendi doctissimiq; Viri,

DN. JOANNIS STOBELOVII, Eccles.

Pamrenstorphianę & Gustovianę
Pastoris dignissimi, Sponsi,
Et lectissimæ pudicissimæq; Virginis

REBECCÆ,

Integerrimi Olim & Conspicui Viri
DN. NICOLAI TABBERTI,
Civis & Mercatoris Sedinensis solertissimi Filiæ relictæ,
Sponsæ ejus carissimæ,
scripta ab Amicis.

STETINI,
Ex Typographéo GEORGII GOETSCHII,
ANNO 1631.



Asmodeus ad Dominum Sponsum.

Hespiades fuge, *nec Sponsus sis*, irrita sumas:
Gaudia, *nec castum duc tibi melliculum.*

Idem ad Sponsam.

Dispereas cito, nec conjunx sis, turpia corde
Dilige, *nec lætum sit tibi connubium.*

Raphael ad Dominum Sponsum.

Melliculum tibi duc castum, nec gaudia sumas
Irrita, *sis Sponsus*, nec fuge Thespiades.

Idem ad Sponsam.

Connubium tibi sit lætum, nec dilige corde
Turpia, *sis conjunx*, nec cito dispereas.

Omnia simul fausta ac salutaria
ex animo comprecans, ita
ludebat.

STEPHANUS KNICKENBERGIUS
Rostoch: Megap:

Omnia

OMnia qui primum verbô spirante creavit,
Hunc morem in cœtu gaudet servare piorum,
Ut quos scit Regnis transcriptos esse beatis,
In mundo teneat quoq; sub cruce pondere duro,
Aurum ceu nitidum quo sic rite igne probentur.
Sed Pater ille bonus crucis hos submergier undis
Haut patitur, nova dum parat illis gaudia rursum.
Exemplar clarum tu præbes ipse JOHANNES.
Tristis enim quoq; te crucis hic afflixit amaror,
Dum rapuit Deus uxorem de limine charam.
Gaudia sed sentis post Fletus blanda redire,
Atq; ligasse Deum vulnus, quod corde fovebas,
Dum tibi selegit Nympham de sanguine claro,
Quæ Thalamum decoret castum, curasq; repellat
Ex animo, & possit tecum tolerare labores.
Ex summis ergo cordis penetralibus opto,
Prosperet ut vestrum, sancti qui fœderis Autor
Conjugium bene quò crescatis prole bonisq;,
Nec non Nestoreos vivatis suaviter annos.

Gratul: F.

Johannes Madevvisius,
ArnsWald: Neomarchita.

CRescere non aliundè datur, nisi luce supremâ.
Nam nisi JHOVA rigat, certè aridus est ager omnis.
At si JHOVA rigat campum, rectèq; secundat,

Fertilis & florens existit tunc ager omnis.
Sic quoq; munificus rutilantis Rector olympi,
Campum quàm largè vestrum irriget atq; secundet,
Proferat ut fructus lætos & semina multa.
Vivite felices, optatam ducite vitam;
Sit socialis amor faustus, dum sidera fulgent.
Floreat in thalamo pax & concordia vestro,
Et procul è tecto discedat tetrica rixa.
Hoc precor, hoc opto, votis hoc omnibus oro.
Christe fac, optatis insint ut pondera nostris.

Grata & parata mente appos.

Andreas Müllerus,
Wildenb. Pom.

NOn AMOR esse potest major, quam si Deus arctô
Conjugij nexu fervida corda ligat.
Nec DOLOR esse potest major, quam si duo corda
Concordis thalami mors inopina secat.
Sensisti satis hoc, STöBELOVI; dum tua CONIUX
Amisit vitam morte perempta suam.
Ac si dissectum strictô mucrone fuisset,
Credo, maritæ obitum cor lacerasse tuum.
Sed tibi Cunctipotens *magno cum fœnore raptum*
Tempore præsenti restituisse parat.
Dum jungit lateri pulcram innuptamq; puellam,
Quæ castæ laudem virginitatis habet.

O quam

O quam fausta dies, *albo signanda lapillo!*
Quâ, VIR DOCTE, tibi costa venusta redit:
Costa venusta redit verâ non laude secunda,
Quæ rectè sobolem, quæ reget arte domum.
Quæ te, Luna *velut* Solem, *suo amore sequetur:*
Quæ te consilio, quæq́; juvabit ope.
Plaude igitur, JHOVÆq́; refer modulamina laudis,
A quo cum SPONSA provenit omne bonum.
Plaude domus, quoniam tibi non injusta noverca,
Sed dulcis vultu menteq́; mater *adest.*
Gratulor ergò tibi toto de pectore, SPONSE,
Quod venit in thalamum SPONSA pudica tuum;
Cùm qua suscipias lætum certamen amoris,
Ut tibi progeneret pignora cara tori.
Atq́; quod ex animis foveo, vivatis uterq́;
Nestoreos annos, & procul absit Eris.

Debiti honoris & Congratulationis ergò scripsit

Heinricus Knochius,
Loitzens. Pom:

UNDIqVe beLLa sonant; en regnant MarsqVe VenUsqVe,
Atq; alios aliter sub sua signa vocant.

Horrida bella parat Mavors: sed bellula bella
Cypria, blanditijs quæ sua bella gerit.
Non tibi, Strevlovi, Martis sunt prælia curæ,
At face sub Paphiâ te tecreare cupis.
Sed metuo, ne, dum fugis aspera spicula Martis,
Incidere in Veneris deteriora queas.
Quos etenim superare nequit Mars impius armis,
Mellitis vincit Cypria blanditijs.
Ergò, quid incipies? captum te cernis amore:
Victus es: ô victas porrige, Sponse, manus!
Funde preces: sponsam justo, quam ducis, amore
Prosequere, & constans disce ferenda pati.
sIC VICtUs VInCes: tUa sIC ConnUbIa fIent
MeLLea: Summipotens sic bona quæq; dabit.

Samuel Müllerus, Ruppinas Marchicus.

Epithalamion.

NAucleri mores sequeris, Doctißime sponse,
Qui, quamvis semel ac iterum mala tristia passus,
Non tamen indomitis dubitat committere ventis
Vela, & magnanimus, lucri perculsus amore,
Infestum pelagus celeri percurrere navi.

Sic

Sic, mi ſponſe, facis. Quanquam perpeſſus iniqua
Fata ſemel, dum Morta furens te conjuge dulci
Privavit: Tamen amiſſâ conſorte pudicâ,
Rurſum vitæ oneri ſubdis tua colla prioris.
Sponſa onus eſt tibi dulce: Hanc ipſe medullitus ardes:
Hæc tibi ſola placet: Cunctis præſtantior hæc eſt.
Nec [credas Neonymphe] oculi, dum hanc eligis, errant:
Namq; eſt digna viro virgo, pudibunda, venuſta,
Et virtutis amans, litiq; adverſa, fidelis.
Ergo ſusceptum fer onus: ſic viribus addet
Robur Iövah: Aderit domui benedictio veſtræ:
Sic vos ditabit Dominus: ſic prole beabit.

Amoris & Honoris
ergò facieb.

Iſraël Müllerus Ruppi-
nenſis Marchicus.

Fœdera quid thalami ceſſes renovare ſacerdos?
Fulmina num papæ, crux, Satanasq; vetent?
Chriſtigenis neſcis valeant quod nulla nocere
Non modò ſint contrà facta patrata DEUM?
Ergò pium dextrô conamen numine cœptum
Perfice, ver; cleres, juſſaq; diva jubent.

Perfi-

Perfice, pone metum, succedent omine fausto
Cuncta, Ceres terræ numera larga dabit.
Alma tibi thalamus sit fælix pronuba Juno
Faxit, teq; patrem prole, quiete beet.
Hoc voveo: Vobis præstò sit ab æthere Jova,
Et faciat seros vos numerare dies.

Theodorus Schambach.

FINIS.



